tristissimis temporibus defuturam nobis mutuam consolationem speramus. 155

Interea fortitudinem animi vobis à DEO opt. Max. tantam precamur, quanta ferendæ 140.
tantæ calamitati, totq; superandis difficultatibus opus est, & corpore quidem absentes, animo
tamen præsentes vobiscum συναγωνιῶμεν. Bene valete, Reverendi viri & plu-
rimum nobis observandi fratres. D. Jesus redemptor & conservator orium ipsi à Patre com-
missarum gratiam vobis tribuat in novi principis oculis, veritati suæ patrocinetur, quas in
optimum defunctum principem benedictiones effuderat, in ejusdem liberis secundum verbum
suum multiplicet, exaudiat servorum suorum gemitus, coerceat Satanæ rabiem, denique propter
sanctum nomen suum, quod istic tam efficaciter cœpit, quam potentissimè perficiat. Genevæ
XXIIII Novembris anno ultimi temporis CIↃ IↃ LXXVI. Th. Bz. [Beza, Theod.]

Par Christi.

Dort. Jeremiæ Bastingio. Heidelbergæ

Fasciculum litterarum tuarum Jeremia D. geminum accepi. Unum attulit auriga Stercke-
burgij: alterum tabellarius qui spiram à Senatu nostro mitti consuevit. In utroque tuæ theses
fuerunt, tam ad meas litteras adjunctæ: quam ad epistolam quæ Carolo Bernardi f. inscripta erat.
pro meis ego gratias ago: ille tibi suo tempore prolixè respondebit. Quam opportunè theses cum
versiculis in idem argumentum inciderunt? ut ex eodem fonte hausisse videamur. Sed vestra
in Academijs magnifica sunt omnia: nos in hac compitalitia palæstra nihil nisi ludibrij specta-
culum sumus. Mitto nihilo minus Bremæ excusum carmen tuo hortatu: amici munusculum est,
non decet vos istud aspernari. Intelligo ex Litteris quas Mensoni Altingio Iacobus misit Grylius,
isti quoq; Schola & Ecclesiæ quæ jam totius Europæ oculos in se converterat, turbulentiss.
quandam tempestatem quam proximè impendere: scilicet ut cordium consilia illius trentur,
& sit scriptum in fronte cujusque, quid de regno IESV CHRISTI sentiat, quoque animo
ejus Regis Evangelium sit amplexus. De conjuge, Scis Hesiodi ὄνειον μὲν ἄριστον γυναῖκα consilium
γαμέσσασθαι. Equidem si vis huic Seni auscultare: idem tibi sequendum duco. De prius
ducas: quam constitutum sit, quo loco posturus sis sedem rerum tuarum. Vides quæ nunc sint
tempora, quæ fluctuatio celebrium familiarum. Antonius Sangius & Henricus Saleburgius
artium Magistri, honesti viri sunt, & honesto loco diemi. In pugnam de Sophismate, Essenti-
ale non essentialiter: pertractus à Coryphæo nostro fuit Henricus refugiens, & admodum
invitus. Sed illam Tragicocomediam, cujus ego quoque pars fui: dolore prohibitus non attingo.
Tantum addo. Si quid beneficeris vel huic vel ejus nutritio Antonio, tam id fore gratum
mihi, quam si mea ipsius viscera tua liberalitate recreasses. Nihil hic apud nos peccati fuit: c
cujus ego quidem sim conscius: nisi quod oderunt Sophisticen, quam ipsum (ut spero) tempus,
quod solet mendacio lupus esse, jugulabit. Doctores vestros, ut par est, revereor, & amo, neq;
unquam vel de sincera eorum pietate, vel de exacta varia eruditione dubitavi. Amplificet
Dominus robur suum in cordibus eorum ut ne de susceptâ Ecclesiæ CHRISTI causa,
ullam contumeliam aut periculo depellantur. Hermannus iste Rennecherus, qui apud Batavos
Linguam sanctam profitetur, quum intelligat, eandem linguam te exactè didicisse: colloqui
tecum postulat, & fundamenta quædam ponere amicitiæ perpetuò duraturæ. Requirit
Hollandia multos viros spectanda eruditione, Ea si tuis studijs uti cupiat: revereberis
(ut opinor) patriæ auctoritatem. Emdæ adhuc de disciplina contenditur, metuo ne in nervum
erumpat contentio. Quam deflorenda res est Eos qui multis abhinc annis visi sunt Ecclesiæ
columina: id nunc operam dare, ut omnia misceantur. Gaudeo me eò processisse ætatis: ut jam
terra sit in conspectu. Quem enim non capiat tædium harum quotidianarum miseriarum?
quibus finium inveniri remedium potest. Miseram senectutem, quæ diu vivendo, multa,
quæ nolit, videt. Sed reprimam me, ne videar ætatis vitio in has seniles querimonias
incidisse. Vale. Versiculos meos distribue quaso tuos amicos, homines doctissimos, & meo
animo charissimos benignissimè saluta. Mea conjunx cum parvis Posthumis tua humani-
tati omnia fausta precatur. Ego biduum aut triduum consumpsi in Lecto nondum satis
confirmatus, ut vix scribendis epistolis queam superesse. Rursum vale. Postridie Calend.
Martias v. 5. 77. Bremæ Vehementer te amans Juvenum custos

Johannes Molanus.

Par Christi.

M. Johannem Florentium Pistorium.

Hanc hyemem erudite vir & frater venerande, tammo vester, bene (ut mihi quidem vide-
tur) collocavit. Tute periculum facies. Sic animatus si sic pergat confido futurum, ut gaudeas
nostræ fidei mandatum fuisse. Constituveram retinere eum in suâ palæstrâ, situm &
patrem ejus & te ipsum magnos auctores haberem. Sed nescio quomodo, primum matris epistola
meum animum inflexit. Tum autem partim ipsius adolescentis preces, partim veterum ejus
sodalium istuc euntium invitatio fecerunt: ut in sententia permanere non possem.

Prascripsi ergo quædam ediscenda, in quibus si servarent fidem, promisi me usurum foro. Olim is fuit animus parentibus, ut suos semel artium Magistris adjunctos non prius ab eorum latere paterentur discedere: quam jactis fideliter fundamentis, laudabilem aliquam eruditionem consequuti essent. Sic ante annos octo decem à patre prudentissimo Hieronymo Commelino piæ memoriæ viro Jacobus F. meæ custodiæ commissus fuit adhuc admodum puerulus: ut annis septem aut octo ab exercitatione Scholastica nunquam discederet. Itaque meorum contubernalium omnium & optimus, & doctissimus evasit, summaque beneficio omnibus æqualibus suis præluxit. Nunc major parentum laxitas, paulatim etiam magistrorum robur dissolvit. Sed tamen ut demus aliquid ætati, bona me spes habet fore ut hoc laxamentum Lammoni ad patrem serium gravemque virum cuncti nihil deroget, præsertim cum te habiturus sit observatorem: puerilis studij intermissio facilè poterit nova quadam alacritate pensari. Mater quoque ipsa pueri mihi visa est honesta & prudens matrona, quæ incendet potius Filium novo ardore discendi: quam cum seniorem aut minus avidum nobis remittat. Apud utrunque parentem eris mihi epistolæ vice, quoad me volent uti in filio instituendo, nutricationis liberalitatem, & fidem informationis promitto. De pecunia non laborabam: sed tamen quum esset oblata commoditas, descripsi ratiunculam impensarum, quæ ferè pueri vestitu continentur. Gaudeo meos versiculos tibi voluptati fuisse. Laudantur ab his (ut illeait) culpantur ab illis. Quidam parum decorum putant Senem versibus ludere: sic est ingenium, non possum immutari. Magnum onus est quod sustineo, cui sanè vix quidquam supersesse, nisi subinde ad meam Terpsichoren recurrens fastidium longi laboris sublevem jucundo cantu. Ferunt patronum Scholæ nostræ Doct. Casparem Olevianum à Lgnteravio vocatum esse. Non diu poterit tanto viro locus honestus deesse. Gallia Rex jampridem sceptrum, suumque caput cum diademate diris omnibus devovit: nisi è regni sui finibus Evangelium exterminet. Interea Hugenoti (sic enim eos vocant) passim illi furioso & agresti Domino suas urbes extorquent. Pax austriaca in Belgio, Batavos cum Zelandis magis animavit ne quam religionis contagionem apud se disseminari patiantur. Itaque demoliuntur etiam nunc (ut fama est) Monachorum cubilia, qui fuit olim Herculis labor Augiæ stabulum repurgantis. Sed hæc vobis notiora sunt, quam mihi, quem in umbratili pristino molentem dies & veniens videt, & decedens. Scio te virum esse non modo Litteris expolitum: sed etiam respicientem ad Deum, & sperantem in ipsius misericordia. Quamobrem fautor tua erga me voluntate, & ut amare me pergas rogo. Vale 24 Martij inter strepitus furorum Bremæ. Tuus Amicus & Joh. Molanus.

Salutem dic tuæ conjugi & Lammonis parentibus.

Pax Christi. 1577.

Vt. 278)

[D. Joanni Campensi Senatori Francofurtensi.

Equidem vellem venerande Senator obsequi vestro in me studio, & vobiscum isthic ut cum amicissimis hominibus recreari: Sed me in hoc Scholari carcere tot laquei retinent, tot compedes remorantur, ut pedem nusquam proferre possim. Tum autem senilis quidam morbus me nuper debilitavit, qui ne his matutinis frigoribus excitus recurrat mihi cautio est. Eo ante annos tredecem quos in hujus Scholæ Gubernatione consumpsi, omnes meas voluptates, usus, delicias ipsius Scholæ parietibus circumscripsi: hic me oblecto: hic absumor: hic excarnificor, hic revivisco. Adulto jam vere, cum erunt inchoatæ Lectiones, si Deus velit, & si vivemus, amicis me fruendum dabo. Superioribus diebus hic apud nos commoratus est M. Hermannus Rennecherus ex agro Monasteriensi, homo liberali ingenio, minimèque indoctus. Profitetur linguam sanctam Lugduni Batavorum: sic nunc vocant novam Academiam quæ instituta nuper est Leidæ: quod oppidum est Hollandiæ Hispanorum longa obsidione nobilitatum. Is apud me reliquit suum quoddam carmen, & jussit, ut ubi commodum esset: mitterem Clarissimo Doctori Henrico Mullero, quem ajebat Witebergæ sibi olim

[=Mscr. A. 12. Vt. 271]

Doct. Henr. Mullero Hilburg.